



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§. 69. Ejusdem Pontificis Constitutio, quæ incipit: Detestabilis, contra  
usuras.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1586.

*possident, dummodo Ordinariorum consensus accedat, quoad ea, quæ a decem, vel circiter abhinc annis hucusque possederant.*

VII. Alia exstat Constitutio, qua Pontifex die vigesima secunda Septembris præscribit numerum, & qualitates Prælatorum Referendariorum utriusque signaturæ Romani Pontificis cum privilegiorum concessione.

VIII. Trigesima ejusdem Mensis Papa voluit, ut Communitates Status Ecclesiastici pro aliis obligatæ, infra annum ab earum obligationibus liberentur, & præcepit, ut de cetero pro aliis se obligare, & eorum bona alienare, ac præterquam ratione locationis obligare, vel Oratores sumptibus publicis ad Pontificem mittere nequeant absque speciali licentia.

§. LXIX.

*Ejusdem Pontificis Constitutio, quæ incipit: detestabilis, contra usuras.*

*Bull. Const.*  
45. p. 599.

Sixtus V. jam anno priori die prima Maji Constitutionem ediderat, qua Cardinales, qui beneficia, ac pensiones a Melitensi Ordine etiam per Sedis Apostolicæ nominationem possederant, ad solita jura communi ærario persolvenda obstrinxerat: porro currente hoc anno die tertia Octobris Principes, qui  
extra

extra ditiones ecclesiasticas agerent, hortabatur, ut illis faverent, qui ad recipienda hæc jura nominati fuere: alia autem Constitutione idem Papa die duodecima Octobris Officium Commissariatus Cameræ Apostolicæ deinceps perpetuum fore statuit adjecta jurisdictionis, privilegiorum, emolumentorumque concessione: insuper ab eodem Papa edebatur duodecima calendis Novembris, seu die vigesima prima Octobris alia Constitutio longe celeberrima, quæ incipit: *Detestabilis*: porro hæc Canonistis in dubiis contractuum casibus veluti norma, servit: ibidem enim Pontifex damnat omnes condiciones seu pacta illicita, quæ in Societatis contractibus adducuntur, uti sunt fortis securitas, sive ea consistat in pecuniis, animalibus, aut aliis rebus: postea regulas præscribit Pontifex, juxta quas ejusmodi contractus, qui animalium contractus, seu captate appellantur, absque ulla usura licite iniri possunt: porro alia ejus Bulla die trigesima Octobris adulteras, ac juvenum corruptores execratur, statuitque, ut extremi supplicii pœna plectatur ille Maritus, qui Judicis auctoritate separationem obtinens, deinde impudicam vitam ducit, ita, ut appareat, quod separationem affectaverit, ut luxuriose viveret.

Bb 4

Præ-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1586.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1586.

Præterea eadem etiam poena castigandam decernit illam conjugem, quæ iisdem adulteriis sese contaminaverit: denique die prima Novembris per aliud diploma stabilitur jurisdictio Judicis in causis *beneficialis confidentiæ*, & *simoniacæ*, in Romana Curia movendis, aut per *appellationem a iudicibus extra curiam introductis*.

§. LXX.

*Montaltum a Papa in civitatem redactum.*

Leti l. 7.  
tom. 2.  
Ciacon. p.  
129.

Hic idem Pontifex cum sese erga patriam suam munificum exhibere studeret, Montalti Cryptas, domumque, in qua primam lucem aspexerat, in urbem erigere statuit: at solo ad præconceptam hujus urbis fabricam minus idoneo consilium suum exequi præpeditus Montaltum, qui inter vicina civitatis suæ loca Vicus erat magis amplus, in urbem erigi curavit, eoquod ab hoc loco Cardinalis de Montalto vulgo appellatus esset: igitur novæ hujus civitatis delineationem sibi exhiberi iussit, eoque Deputatum, qui hoc opus exequeretur, unacum Architecto decernens singulis diebus plusquam quingentos operarios adhibuit, nequidem computatis loci incolis: tandem ergo urbis ædificio plene absoluto illam Episcopa-